
tô. 2:

SCHEDIASMA JURIDICUM,
In qvo de hoc Themate differitur:
Jus Civile computat gradus in Lineâ collaterali
etiam eo modo qvô Jus Canonicum;
Qvodque

PERILLUSTRI DOMINO
DOMINO
JO. FRIDERICO
BACHOVIO,

BARONI AB ECHT, IN ROMSCHVTZ ET DOBITZSCHEN, SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO IMPERIALI AULICO, IN AULA SAXO-GOTHANA SANCTIORUM CONSILIORVM DIRECTORI DOMINO DEMISSE COLENDO




inscriptum est
à

JOH. PHILIPPO Treiber / Philos. & J. U. D. Facult. Philos. Jenens. Adjuncto, & P. L. C.

JENÆ, apud Joh. Jacobum Ehrt.
M. DCCII.



AD LECTOREM.



Ex iis Veritatibus, qvas hactenus indagatas stitimus, jam qvoqve prosilit Juridica seqvens: *Jus Civile computat gradus in linea collaterali etiam eo modo, quo Jus Canonicum.* Qvam ipsam in præsenti Schediasmate eâ, qvâ convenit, modestiâ, expendere decrevimus:

I. Positivè
- *1. Per Probationes, quæ desumtæ erunt*
  - *1. Ex Systematibus Juris antiqvioris, et qvidem ex Systemate*
    - *1. Elementari, Institutionibus*
    - *2. Acroamatico, Pandectis.*
  - *2. Ex Jure Novellarum, Novella sc. 118.*
- *2. Per Consectaria, quæ erunt hæc;*
  - *1. Quod in computatione civili etiam locum habere possit distinctio lineæ collateralis in æqualem & inæqualem.*
  - *2. Quod in computatione civili etiam uti possimus Regulis, quas Jus Canonicum præscribit computaturis gradus in lineâ collaterali æquali & inæquali.*

II. Polemicè per eversiones objectionum, desumtarum
- *1. Ex Jure Civili.*
- *2. Ex Jure Canonico.*

Caput Primum,

Exhibens positivam Thematis nostri tractationem.

Sec-

Sectio I.

Expendens Thesin nostram principalem per probationes.

Thes. I.

Firmitudo primarii nostri Lemmatis paratur [א] Ex Institutis, et qvidem I.) Ex §. 7. *Instit. de Capit. dimin.* ubi Imperator talia docet: *Cum autem ad agnatos tutela pertineat, non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantùm, qvi proximiore gradu sunt, vel, si* plures ejusdem gradus *sint, ad omnes pertinet, veluti, si* plures fratres *sint, qvi* unum gradum *obtinent, pariter ad tutelam vocantur.* II.) Ex §. 3. Instit. de legit. agnat. succesf. ubi dicitur: *Quare etenim* uno eodemqve gradu *naturali concurrente, et agnationis titulis tàm in masculis, qvam fœminis* æqvâ lance *constitutu* etc. III.) Ex §. 5. Instit. de leg. agn. succesf. ubi Imperator ait: *Si plures sunt gradus agnatorum, apertè Lex duodecim tabularum proximum vocat. Itaqve si (verbi gratia) sint defuncti* frater & alterius fratris filius aut patruus, *frater potior habetur. Et qvamvis singulari numero usa Lex duodecim Tabularum proximum vocet, tamen dubium non est, qvin, si* plures sint ejusdem gradus, *omnes admittantur. Nam & proprie proximus ex pluribus gradibus intelligitur, & tamen non dubium est, qvin, licet* unus sit gradus *agnatorum, pertineat ad eos hæreditas.* IV.) Ex Principio Institut. de assignat. Libert. in qvo ita disseritur: *In Summa, qvod bona libertorum attinet, admonendi sumus censuisse Senatum, ut, qvamvis ad* omnes patroni liberos, qvi ejusdem gradus sunt, *æqvaliter bona libertorum pertineant, etc.*

§ Ex his Institutionum locis cognoscitur, qvod Jus Civile in lineâ collaterali interdum etiam plures personas generatas, nimirum plures collaterales & fratres, unius et ejusdem gradûs esse, itemqve plures masculos & fœminas (uti sunt fratres & sorores) æqvâ lance constitutos esse reputet, qvodqve

qve ita idem Jus Civile in linea collaterali non ſemper plures gradus numeret, poſitis pluribus perſonis generatis. Plures enim fratres, & ſorores, qvi in his §§. unum gradum obtinere dicuntur, ſunt plures perſonæ generatæ, ſuntqve etiam collaterales. Cum autem Jus Canonicum in lineâ collaterali gradus æqvè non computet eo modo, ut tot gradus numeret, in illâ, qvot generationes ſunt, ipſumqve ſpeciatim æqvè plures fratres et ſorores in unum gradum computet, indubitanter promanat, qvod Jus Civile in his §§. in lineâ collaterali eodem modo gradus computet, qvo Jus Canonicum.

Th. II.

Multû roboris aſſertioni noſtræ principali (ב) accreſcit per Leges Pandectarum, videlicet I.) per *l. 1. §. 2. ff. de grad. & affin.* ubi talia legere licet: *Sed admonendi ſumus, ſi qvando de hæreditate vel bonorum poſſeſſione qværamus, non ſemper eos, qvi eju*ſdem gradus *ſunt, concurrere.* II.) per legis 10. § phum 11. ff. eod. qvi ſeqventia continet: *Primo gradu cognationis ſunt ſurſum verſum duo, pater et mater, deorſum verſum* duo, *filius & filia, qvi tamen &* plures *eſſe poſſunt.*

§. Ex his Pandectarum ll. iterum luculenter patet 1.) qvod Jus Civile, plures perſonas unius gradus eſſe poſſe, doceat, & in ſpecie duas perſonas generatas atqve collaterales, filium & filiam, imò, & plures in eundem gradum collocet, qvodqve ſic 2.) Jus Civile non ſemper numeret perſonas ad latus poſitas, & peculiariter filios & filias, qvi ſunt fratres & ſorores, non ſemper ut collaterales & ut generatas perſonas ad latus poſitas computet, ſed interdum etiam *ut deſcendentes ab eodem ſtipite*, atqve ut æqvaliter *in primo gradu*, diſtantes ab eo. Non autem aliter procedit & Jus Canonicum. Hoc enim 1.) etiam plures perſonas collaterales, & ſpeciatim plures filios & filias in unum gradum computat, eosqve 2.) non numerat

merat ut personas generatas ad latus positas, (illud enim non numerat personas ad latus positas) sed *ut descendentes ab eodem stipite*, atqve, ut æqvaliter in *primo gradu* distantes ab eo. Qvid igitur ex modo dictis aliud consequitur, qvàm, qvod Jus Civile in ll. ff. allegatis gradus in linea collat. etiam eo modo computet, qvo Jus Canonicum.

Thes. III.

Tandem (1) elucescit [illegible] nostræ veritas etiam ex Jure Novellarum et qvidem I.) ex Novellæ 118. Capite III tio in fine, ubi dicitur: *Si vero neque fratres, neque filios fratrum (sicut diximus) defunctus reliqverit: omnes deinceps* à latere cognatos *ad hæreditatem vocamus, secundum unius cujusqve gradus* prærogativam: ut viciniores *gradu ipsi reliqvis præponantur. Si autem plurimi* ejusdem gradus *inveniantur, secundum personarum numerum inter eos hæreditas dividatur; qvod in capita nostræ leges appellant.* II.) Ex ejusdem Novellæ Vto (qvod de legitima è latere cognatorum tutelâ agit) Capite in fine, ubi talia verba exhibentur: *Si autem plurimi* eundem cognationis gradum *habentes ad tutelam vocantur, jubemus* etc.

§. Horum allegatorum prius ostendit, qvomodo, fratribus, & fratrum filiis deficientibus, inter plures collaterales, (v. g. fratrum nepotes aut pronepotes) qvi ejusdem gradus sunt, hæreditas dividatur? Posterius ostendit: qvod plurimi collaterales ad tutelam legitimam vocentur, si *eundem gradum* obtineant. Non autem aliam, uti pluries diximus, in computandis his personis, methodum observat Jus Canonicum. Itaqve nec hæc loca Novellæ 118, aliud ostendunt, qvàm qvod in iis Jus Civile gradus in linea collaterali eodem computet modo, qvo Jus Canonicum.

SECTIO II.

In qva Porismata Thematis nostri ponderantur.

Th. I.

Stabilitâ jam noſtrâ propoſitione principe, immediate eam, ejusqve fundamenta conſectantur propoſitiones aliæ, qvarum prior eſt ſeqvens: *In computatione civili etiam locum habere poteſt diſtinctio lineæ collateralis in æqvalem & inæqvalem.*

§. Eqvidem alias linea collateralis Jure tantum Canonico diviſa dicitur in lineam æqvalem & inæqvalem, cum diviſio hæc in Jure Civili expreſſa non inveniatur. Qvoniam tamen Jus Civile 1.) v. g. plures fratres, adeoqve plures collaterales *unum gradum* obtinere poſſe concedit, (ſupra alleg. §. 7. Inſt. de cap. dimin. & cæteris locc. ex Jure Civ. ſupra citt.) qvod eſt; *Plures in linea collaterali æqvaliter diſtare poſſe à ſtipite*, & 2.) §. 3. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. hæc verba repræſentet: *Et agnationis* titulis *tam in maſculis qvam fæminis* æqva lance *conſtitutis* etc. profecto ex his argumentari poſſumus ad lineam collateralem æqvalem, & ab hâc facile ad inæqvalem. Etenim, qvi concedit æqvalem, ſtatuit & inæqvalē, cui æqvalē opponit. Nam *agnationis tituli æqva lance conſtituti* iis, qvi in lineâ collaterali æqvali ſibi ſangvine propinqvi ſunt, commode attribui poſſunt. Collaterales enim etiam ſunt *agnati*, & *æqva lance conſtituti* ſunt *æqvaliter diſtantes* à perſona, deqva qværitur, aut à ſtipite. Et ſic collaterales æqvaliter à ſtipite diſtantes ſunt ii, qvi *in linea collaterali æqvali poſiti* ſunt. Qvare, licet diviſio lineæ collateralis in æqvalem & inæqvalem expreſſe non doceatur in Jure Civili, tamen, qvia ea exinde argumento legum probari poteſt, nobis ſaltim eatenus aſſentiendum eſt, qvatenus aſſerimus; In computatione Civili locum habere poſſe diſtinctionem lineæ collateralis in æqvalem & inæqvalem.

Th. II.

Deductionem prioris noſtri porismatis excipere debet illatio conſectarii poſterioris & inſeqventis: *In computatione Civili etiam uti poſſumus Regulis, qvas Jus Canonicum præſcribit computantis gradus in lineâ collaterali æqvali ac inæqvali.*

§.

§. Regula ſecundum qvam de Jure Canonico computantur gradus in linea collaterali æqvali, eſt hæc; *Qvoto gradu alterutra perſona, de cujus cognatione qværitur, diſtat à communi ſtipite, eo gradu illæ perſonæ diſtant inter ſe.* Et Regula, ſecundum qvam de eodem jure gradus in lineâ inæqvali computantur, eſt ſeqvens: *Qvoto gradu remotior (ex iis, qvarum conjunctio inveſtigatur) diſtat a communi ſtipite, toto diſtant inter ſe.* C. 9. X. de Conſ. & Affin. C. XXXV. q. 5.

§. 2. Jam, qvia Jus Civile [1] in §. 7. Inſt. de Capit. diminut. & aliis ſupra citatt. locc. plures fratres unum gradum obtinere poſſe ſtatuit, certè non aliam ob cauſam id concedit Jus Civile, qvam eam: qvod qvisqve fratrum æqvaliter diſtet á patre; Nullus autem plurium illorum fratrum, qvi unum gradum obtinent, ſecundo gradu diſtat à patre; aliàs enim illi non obtinerent unum gradum. Nam, ſi fratres, obtinentes unum gradũ, à ſtipite diſtarent ſecundo gradu, certè in horũ gradu inveſtigando aut ( ) ab uno fratrum aſcendendum eſſet ad ſtipitem, et ab hoc ad reliqvos fratres deſcendendum, & ita ille, à qvo aſcenderetur ad ſtipitem, primo gradu a ſtipite diſtaret, reliqvi autem ſecundo; adeoqve non eundem gradum cum reliqvis fratribus obtineret; aut ( ) à ſtipite deſcendendum ad unum fratrem, et ab hoc ad reliqvos, & ita ille, ad qvem à ſtipite deſcenderetur, primum, reliqvi autem ſecundum gradum obtinerent, adeoqve non eundem cum reliqvis fratribus. Cum itaqve unusqvisqve illorum fratrum, qvi unum gradum obtinent, à ſtipite non diſtent ſecundo, ſed primo gradu (veluti id etiam expreſſe docet d. l. 10. §. 12. ubi plures filii & filiæ, qvi certè ſunt plures fratres & ſorores, in primo gradu diſtare a ſtipite dicuntur) certè, qvoto gradu illi fratres unum gradum obtinentes diſtant à communi Stipite, toto gradu etiam illi, conſiderati ut æqvaliter & uno gradu diſtantes à ſtipite, diſtant inter ſe, proptereaqve uti poſſumus in hâc computatione Civili etiam illâ Juris Canonici Regulâ: *Qvoto*

gradu aliqua persona ex iis, de quarum cognatione quæritur, distat à communi stipite, eo gradu inter se distant.

§. 3. II.) Qvia supra ex Nov. 118. Cap. III. unum gradum obtinere posse dicuntur plures illi collaterales, qvi deficientibus fratribus & fratrum filiis ad hæreditatem vocantur, suntq; fratrum nepotes & pronepotes; profectò hi ipsi ab eo, de cujus hæreditate qværitur, distabunt in linea collaterali æqvali in tertio & qvarto gradu à stipite: qvandoqvidem enim hi fratrum nepotes unius gradus (nepotes) esse dicuntur, etiam fratrum filii & fratres ita computandi sunt, ut plures eorum unum gradum conficiant. (Aliàs enim confusa numeratio graduum oriretur, si plures alii in unum gradum computentur, plures autem alii tot gradus conficere asserantur, qvot personarum illarum sunt.) Et propterea fratres ejus, de cujus hæreditate qværitur, in primo gradu, horum filii in secundo, eorum autem nepotes in tertio, pronepotes in qvarto gradu ab eo distabunt de jure Civili, & ita non aliter qvam uti de Jure Canonico. Ergo etiam in hoc casu, videlicet in gradibus ulterioribus lineæ collateralis æqvalis uti possumus regulâ illâ, qvâ Jus Canonicum utitur in computandis gradibus istius lineæ.

§. 4. III.) Siqvidem in eodem contextu pluries allegati §. 7. Inst. de cap. dimin. ubi plures fratres unum gradum obtinere dictum est, mentio fit gradus *proximioris*; & porro, qvandoqvidem in eodem contextu capitis III. ex Nov. 118. in qvo: *si plurimi* collaterales *ejusdem gradus inveniantur*, dictum est, exprimuntur qvædam de *vicinioribus gradu*, qvod scilicet hi *reliqvis* præponantur, certé exinde concludimus I.) qvod Jus Civile viciniores & proximiores gradu relativè opponat remotioribus, qvos illud indigitat in verbo: *reliqvis*. Vicinior enim gradu & remotior sunt relata & simul, ut igitur ibi, ubi in jure Civili statuuntur viciniores gradu, necesse sit, etiam remotiores statuantur. Non enim cogitare possum viciniorem gradu,

du, nisi simul cogitem aliqvem, qvo hic vicinior gradu est. Et talis est: remotior gradu. II.) Qvod de Jure Civili in linea collaterali inæqvali etiam plures viciniores aut plures remotiores unum gradum obtinere possint, & sic in computatione viciniorum, ac remotiorum gradu in linea collaterali, non semper personæ & generationes, sed interdum etiam distantiæ à stipite, per conseqvens eodem etiam modo gradus in linea collaterali inæqvali numerentur, qvo eos Jus Canonicum computat; qvodqve ita III.) nil incongrui admittamus, si eandem in civili computatione collateralium, viciniorum & remotiorum adhibeamus regulam, qvam adhibet Jus Canonicum in computandis collateralibus inæqvaliter distantibus, seu in linea collaterali inæqvali.

§. 5. Cæterum ex sæpius allegatis locis Juris Civilis, qvæ de materiâ tutelarum & succesfionum agunt, & plures collaterales unum gradum obtinere posse docent, luculenter etiam cognovimus, qvod κατ' ἐξοχὴν sic dicta computatio civilis, videlicet numeratio generationum, non semper locum habeat in tutelis & succesfionibus, sed interdum etiam in harum materiarum casibus tantùm numeratio distantiarum à stipite instituatur.

CAPUT II.

Thesin principem polemicè discutiens.

Th. I.

Primaria nostra propositio demonstrata & illustrata hactenus est per probationes & consectaria; jam avertenda sunt ea, qvæ ipsam impugnant. In ordinandis autem antithesibꝰ rationẽ habebimus ordinis thesium in prius caput collocatarum. Et qvidem *Primò* ominati sumus objectionem, qvæ ferire videtur Thesin I. II. & III. cap. I. Sect. I. in qvibus, plures collaterales de Jure Civili etiam unum gradum obtinere, contenditur. Illaqve objectio est talis: *Plures collaterales sunt plures personæ generatæ, cum autem plures personæ generatæ plures gradus conficiant; semper enim persona generata gradum adjicit, per §. 7. Inst. de Grad. cognat. & legem 10. §. 10. ff. de Gradib. & affin. ubi extat: Ut à proximo in proximum, i. e. in eum, qvi qvasi ex eo nascitur, transeamus.*

amus. Adde l. fin. §. nam qvoties 9. in fin. ff. de grad. & affin. ibi: Similiter enim accedentibus singulis, crescit numerus. Ideoqve, pluribus collateralibus positis, ponuntur plures gradus, Ergo illi non possunt in unum computari gradum de Jure Civili, veluti possunt de Canonico.

§. 1. Hæc objectio removetur, si distingvamus aut I.) inter gradum naturalem & civilem, aut II.) inter numerationem generationum, & numerationem distantiarum à stipite, aut III.) inter gradum sumtum pro transitu de personâ in personam, & gradum pro distantiâ à stipite sumtum; aut IV) inter gradum sumtum pro distantiâ personarum à stipite & inter gradum, sumtum pro distantiâ personarum ab invicem ratione numeri generationum; aut V.) inter computationem graduum, qvâ plures personæ collaterales, computantur ut collaterales seu, ut ex transverso positæ, atqve computationem graduum, qvâ plures personæ collaterales computantur non ut collaterales, sed ut ab uno stipite æqvaliter vel inæqvaliter descendentes.

§. 2. Prima distinctio fundamentum suum nacta est in supra adducto §. 3. Inst. de legitim. agn. success. ubi dicitur: *Qvare etenim uno eodemqve gradu naturali concurrente* etc. ubi per gradum naturalem Imperator intelligit intervallum, qvo qvis à stipite, sibi sangvine (naturaliter) juncto distat. Nos autem, ab usu termini: *gradus naturalis*, tanqvam alterius membri nostræ distinctionis, ad valorem termini: gradus civilis, tanqvam oppositi membri, argumentantes, per gradum civilem intelligimus transitum de personâ in personam, *arg. l.* 10. §. 10. *ff. de grad. & affin.*

§. 3. Secunda distinctio vult hoc, qvod alia computatio graduum sit, si tot numerem gradus, qvot sunt personæ generatæ, alia computatio, si de pluribus personis dispiciam, qvoto intervallo à stipite distent? in hac enim computatione plures personas æqvalem à stipite distantiam habentes in unum gradum conjicere possum.

§. 4. Tertiam Distinctionem suggessit nobis Pomereschius ad §. 1. Inst. de Nupt. n. 37. ita commentans; *Gradus est de proxi-*

ne in proximum transitus l. 10 §. 1. d. grad. (38. 10) seu (puta, si gradum pro distantia a stipite sumamus) *intervallum, qvo cognoscitur, qva persona propior sit stipiti.* Cum hâc definitione coincidit definitio gradû s naturalis, qvam supra §. 2. proposuimus.

§. 5. Qvartæ distinctionis membrum prius jam explicatum dedimus, posterius respondet usitatæ passim definitioni gradus, qva is dicitur distantia unius personæ ab aliâ, per generationem facta. *Vid. Dn. Mencken in Addit am. ad Struv. Ipr. Lib. I. T. V. Aph. II. & Jo. Sam. Stryck. in Fundament. Jur. Justin. Lib. I. Tit. X. §. 1. n. 3.*

§. 6. Qvinta distinctio hunc habet sensum: Alia computatio graduum est, si in arbore consangvinitatis latera & personas ex transverso positas connumeremus, alia computatio graduum est, si citra respectum numeri collateralium, tantùm intervalla numeremus, qvibus collaterales ab eodem stipite descendentes, ab hoc ipso distant, veluti hoc factum est *in l. 10. §. 12. ff. de grad. & affin.*

§. 7. Propositam & explicatam distinctionem nostram qvintuplicem, jam etiam ad objectionem in Thesi propositam applicabimus, & qvidem seqventi ratione: Sensus hujus periodi: *Semper persona generata adjicit gradum, est aut I.)* hic: *Semper persona generata gradum adjicit civilem, aut II.)* talis: *Semper generata persona gradum adjicit, si numerem generationes; aut III.)* seqvens: *Semper generata persona gradum adjicit, si gradum sumam pro transitu de personâ in personam;* aut IV.) iste: *Semper persona generata adjicit gradum, si gradum sumam pro distantia personarum ab invicem ratione numeri generationum;* aut V.) hujusmodi: *Semper persona generata in lineâ collaterali gradum adjicit, si plures personæ collaterales computentur ut personæ ex transverso positæ.*

§. 8. Sensus autem objectionis I.) non est hic: *Semper persona generata gradū adjicit naturalem;* nàm plures personæ generatæ, æqvali intervallo distantes à stipite, non nisi unum gradum naturalem obtinent, *per §. 3. Inst. de legit. agnatorum succ.* Nec II.) sensus ejus est talis; *Semper persona generata gradum adjicit, si numerem distan-*

stantias à stipite. Nam plures personæ generatæ collaterales possunt unam & eandem distantiam à stipite obtinere. Ideoqve non semper persona generata, inter eas gradum adjicit. III.) Ob eandem rationem distinctio tertia & qvarta non patitur sensum regulæ seqventem: *Semper persona generata gradum pro distantia à stipite sumtum adjicit.* IV.) Nec sensus ejus est hujusmodi: *Semper persona generata adjicit gradum, si plures personas collaterales non ut collaterales computem, sed ut ab uno stipite æqvaliter vel inæqvaliter distantes descendentes.* Non, inqvam, sensus ejus est iste. Nam in sæpe citata l. 10 §. 12. sunt plures personæ collaterales tanqvam descendentes à stipite æqvaliter distantes in unum gradum computatæ. Ideoqve tunc non unaqvæqve persona generata adjicit gradum, si plures personas collaterales computem ut descendentes ab uno stipite æqvaliter distantes.

§. 9. Largisimè circa hanc interpretationem nobiscum consentiunt: Carpzovius in Arbore Consangvinitat. Disp. I. cap. I. n. 37. & 38. atqve Autor Dissertationis [qvæ B. Dn. Petri Mulleri curâ denuò prodiit & hypomnemati suo de annulo pronubo annexa est] illustris Dn. Z. P. à L. §. 21. de modo ac usu computationis graduum. Horum uterqve allegat consentientem insuper Georgium Schultz / in tract. d. arb. Consangv. & affin. c. 2. n. 11. in fine. Prior autem, nempe Carpzovius, ita disserit: *Cæterum, qvod dicitur, semper personam generatam gradum adjicere, dict. §. 7. & l. 10. §. 9. ff. de grad. & affin. boc neutiqvam de pluribus unius parentis gnatis accipi debet, ita, ut unusqvisqve gradum adjiciat novum; sed omnes ac singuli in primo à patre gradu existunt, nec filiorum unus distat remotior à patre qvam alter, nec nepos unus, qvam alter, ab avo. Georg.* Schultz / *dict. cap. 2. n. 11. in fin.* Posterior, nempe Illustris Dn. Z. P. à L ita inqvit: *Qvod tamen ita intelligendum non est, ut, si alicui plures filii filiæve nascantur, qvamqve personam gradum adjicere putemus; sed totam illam primam generationem Patri in primo gradu esse, cum filiorum unus non distet remotius à Patre, qvam alter, nec nepos unus, qvam alter ab avo. Georg.* Schultz *in d. tr. cap. 2. n. 11. in fin.*

§. 10.

§. 10. Unde patet, qvod Dominus Carpzov. & Autor dissertationis, de modo ac usu computationis graduum, in re ipsa conveniant nobiscum circa hanc Thesin: *Jus Civile in linea collaterali computat gradus etiam eo modo, quo Jus Canonicum.* Dum enim uterqve docet: Regulam hanc: *Semper generata persona gradum adjicit*, neutiqvam de pluribus unius parentis gnatis aut nepotibus (qvi certè sunt fratres & sorores, adeoqve collaterales) accipiendam esse, cum hi respectu patris & avi æqvaliter distent & unum, puta filii unum & primum, nepotes unum & secundum gradum possideant; certe iidem per hoc docent, qvod Jus Civile, respiciens ad distantiam a stipite, non latera aut personas collaterales ut collaterales numeret, sed computet eas ut descendentes. Qvod ipsum cum parili modo peragat Jus Canonicum (hoc enim nunqvam latera, adeoqve plures collaterales non ut collaterales, sed ut descendentes ab eodem stipite numerat; confer superius dicta §. 1. Th. II. sect. I. Cap. I.) re ipsa Doctores illi nobis adstipulantur, qvod Jus Civile etiam eo modo collaterales computet, qvo Jus Canonicum. Et hinc iidem ibi, ubi proposuerunt differentiam computationis civilis a canonicâ, intenderunt digitum saltim in computationem civilem κατ' ἐξοχὴν sic dictam, seu numerationem generationum.

§. 11. Cæterum observavimus: Jus Civile solere generationes eo casu numerare, qvando qvæstio est de duabus saltim personis, veluti in materia de nuptiis, distantias autem à stipite tum, qvando qvæstio est de pluribus v. g. in materia tutelæ legitimæ, & successionis.

Th. II.

Secundo obstat Thesibus Sectionis I. Capit. I. seqvens dubium: *Jus Canonicum in lineâ collaterali numerat primum gradum can. ad sedem 2. vers. fratres, caus. 35. quæst. 5. Jus autem Civile nunqvam primum gradum numerat; nam I.) in princ. Inst. de Gradib. cognat. disertè „dicitur, Et superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit, at „ea, quæ ex transverso numerantur, à secundo. (II.) in l. 1. §. 1. ff. de gra„dib. & affin. expressè extant hæc: Sed superior quidem & inferior cogna-*

 tio

„*tio à primo gradu incipit ex transverso, sive à latere, nullus est primus*
„*gradus, & ideo incipit à secundo etc.*

Ergo verum non est, quod Jus Civile in lineâ collaterali etiam eo modo computet gradus, quo Jus Canonicum.

§. Hæc tamen obstantia loca facile conciliari possunt cum adductis supra locis thesin nostram probantibus, si & heic adhibeamus unam saltim distinctionem ex propositis §. 6to Theseos præced. & dicamus: Ex transverso, sive à latere, nullus est primus gradus de jure Civili, si collaterales computentur [illegible] collaterales, seu, si in arbore consangvinitatis computentur latera; est tamen ex transverso sive a latere, primus gradus de Jure Civili si collaterales computentur ut immediatè descendentes ab eodem stipite, qvemadmodum in l. 10. §. 11. ff. de grad ib. & affin. plures filii & filiæ (qvi certè sunt fratres & sorores, adeoqve collaterales, ut sæpius hoc recoximus) in primo gradu agnationis deorsum versum esse dicuntur. Junge ea, qvæ diximus §. 1. Th. II. Sect. II. cap. I.

Th. III.

Tertia qvam nobis præsagivimus, objectio obest §. 1. Th. II. Sect. II. cap. I. ubi contenditur: Plures fratres, qvi unum gradum obtinent, esse de Jure Civili in primo gradu lineæ collateralis; illaqve objectio est hæc: *Qvando plures fratres unum gradum obtinent, tunc pater aut mater eorum est in primo & ipsi in secundo gradu; pater enim, pariter mater, est prior filiis.*

§. 1. Hanc objectionem enodamus distingvendo inter prioritatem patris & matris, qvâ ipsi priores sunt liberis ratione existentiæ, & inter prioritatem patris aut matris, qvâ ipsi priores dicuntur liberis ratione gradus in computatione graduum. Et concedimus qvidem, qvod pater aut mater sint priores liberis ratione existentiæ, sed fortiter negamus valorem conseqventiæ à prioritate existentiæ, qvâ parentes priores sunt liberis, ad posterioritatem distantiæ graduum in computatione fratrum, qvi unum gradum obtinent. Pater enim & Mater, qvatenus in computatione fratrum, qvi unum gradum obtinent, sub considerationem cadunt, non considerantur *absolute* ut homines, priores

priores ratione existentiæ, sed *relativè*, scilicet ut pater & mater, qvi, qvatenus tales, non sunt priores liberis; cum pater & mater eatenus relatorum more, simul sint cum liberis; & ita neqve parentes liberis priores, neqve hi parentibus posteriores in computatione graduum. Utriqve enim ab invicem uno saltim & primo, gradu distant. Fratrum enim filii à fratribus unum gradum obtinentibus, horumqve parentibus; posteriore & secundo distant gradu.

§. 2. Imò qvod pater & mater, qvatenus in computatione graduum velut correlata filiorum considerantur, eo casu non obtineant primum gradum, nec filii secundum, qvando plures fratres unum gradum obtinere contingit, seqventi insuper pacto demonstrare satagimus: Si pater aut mater fratrum, qvi unum gradum obtinent, est in primo gradu; sane tunc hi etiam ab illis distant primo gradu. Qvoto enim gradu stipes distat a personis generatis, toto etiam gradu hæ distant à stipite. Si ergo fratres plures unum gradum obtinentes primo gradu à stipite distant, non distant secundo.

§. 3. Accuratiorem hujus dubii solutionem mandamus Dilemmati seqventi:

Si plures fratres, unum gradum obtinentes, in secundo gradu sunt,
Aut illi distant secundo gradu à stipite,
Aut distant secundo gradu à se invicem;

Sed non à stipite; stipes enim ab ipsis primo gradu distat, ergo & hi primo gradu ab eo distant.

Neqve à se invicem, qvia, si ab invicem plures fratres *unum gradum obtinentes* distarent secundo gradu, certe aliqvis aut aliqvi eorum primum, & aliqvi eorum secundum, & sic *non unum* eundemqve obtinerent.

Ergo plures fratres unum gradum obtinentes, plane non distant secundo gradu.

§. 4. Ideoqve plures fratres, unum & primum gradum obtinentes non aliter computantur de Jure Civili, qvam de Jure Canonico.

Th. IV.

Th. IV.

Qvarta, qvæ nobis obesse visa est, antithesis, depromta est ex Canone ad sedem 1. vers. fratres, caus. 35. qvæst. 5. Ubi Alexander II. Pontifex ait: *Duos gradus legales unum constituere Canonicum in lineâ scilicet æqvali.* Qvod si itaqve ipsummet Jus Canonicum refragatur asserto: *Jus Civile etiam eo modo computat gradus in lineâ collaterali, qvo Jus Canonicum*; fidem non merens æstimabitur principalis nostra Thesis.

§. 1. Dubium hoc iterum, accommodata saltim unicâ ex supra recensitis distinctionibus, averruncabimus seqventi modo: Verus est ille textus Juris Canonici, si ita explicetur; *Duo gradus legales, i. e. duo transitus de personâ generatâ in generatam constituunt unum canonicum, i. e. unam distantiam à stipite in linea collaterali æquali.* Verus autem non est ille textus, si ita eum interpretemur: *Duo gradus legales, qvatenus signant duas distantias à stipite, constituunt unicum Canonicum, i. e. unam distantiam à stipite in linea æqvali.* Qvod enim hoc sensu verus non sit oppositus ille textus, I.) expressi Juris civilis textus illi, qvos supra exhibuimus, satis evincunt, utpote in qvibus plures personæ, unam distantiam à stipite habentes, unum gradum, & sic unum canonicum, i. e. unam distantiam à stipite obtinere dictæ sunt, ut sic duo gradus legales, qvatenus signant duas distantias à stipite, non unum sed duos canonicos, seu duas distantias à stipite constituere possint. II.) si duo gradus legales, qvatenus signant duas distantias à stipite, constituerent unum Canonicum, seu unam distantiam à stipite, certè duæ distantiæ essent una distantia.

§. 2. Itaqve sub sensu priore capienda sunt illa Pontificis verba, qvæ in hâc ultimâ Thesi expressimus; ast tunc ea nobis non officiunt. Nam nos non negamus: Duos transitus de personâ in personam, i. e. duos gradus legates κατ' ἐξοχὴν sic dictos, constituere posse unam distantiam, seu unum gradum canonicum in linea collaterali æqvali.

TANTUM!



